

**Dissertatio medica inauguralis, de phthisi pulmonali ... / Eruditorum
exameni subjicit Georgius Green Spilsbury.**

Contributors

Spilsbury, George Green.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nnbb2efc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA

INACUTUALIS

DE

PHTHISI PULMONALIS.

7

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GEORGIUS GREEN SPILSBURY,
ANGLO-BRITANNUS,
MED. SOCIET. REG. EDIN. SOC.

*“ Non est in medico semper relevetur ut æger;
“ Interdum doctâ plus valet arte malum.”*

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1807.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

PHTHISI PULMONALI;

GUAM,

ANNO DOMINI MDCCCXIII.

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VICE-RECTORIS

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAELECTI;

RECTOR

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

JOH. GREEN DOCTOR,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

REGISTRO EXAMINI SUBMITTIT

GEORGIUS GREEN SPILSBURY,

ANGLO-BRITANNUS

M.D. SOCIET. REG. EDIN. SOC.

"Iste in hunc modum legitur, et legitur in hunc modum."

Albani 24 Jan. 1863.

EDINBURGI:

EXCUBANT ARRANGATI IN LITTE.

1863

HASCE

PAGINAS,

AMICO SUO CARISSIMO,

EDGARI ASHE SPILSBURY,

CHIRURG. REG. COLL. LOND. SOC.

DAT, DICAT, DEDICAT,

FRATER.

HASCE

PAGINAS

AMICO SUO CARISSIMO

EDGARI ASHE SPILSBURY

CHRISTG. REC. COLL. LOVD. SOC.

DAT. DICAT. DEDICAT.

FRATER.

DISSERTATIO MEDICA

"The rapid force admit of no delay.
"While whilst you and fatally occur,
"Report to me now's more auspicious sun,
"The glowing face, whose infancy was weak,
"And easy childhood with (transient) sleep
"O' spirit is your life."

PROLOGUE

"The rapid force admit of no delay.
"While whilst you and fatally occur,
"Report to me now's more auspicious sun,
"The glowing face, whose infancy was weak,
"And easy childhood with (transient) sleep
"O' spirit is your life."

"The rapid force admit of no delay.
"While whilst you and fatally occur,
"Report to me now's more auspicious sun,
"The glowing face, whose infancy was weak,
"And easy childhood with (transient) sleep
"O' spirit is your life."

*“ The rapid Fates admit of no delay.
“ While wilful, you, and fatally secure,
“ Expect to-morrow’s more auspicious sun,
“ The growing pest, whose infancy was weak
“ And easy vanquished, with triumphant sway
“ O’erpow’rs your life.”*

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
PHTHISI PULMONALI

COMPLECTENS.

PROŒMIUM.

QUUM more hujusce Academiae almæ, quem-
que summos in medicinâ honores ambientem,
de re medicâ aliqua scribere oporteat, pauca de
Phthisi Pulmonali mihi disputare liceat.

Morbus, de quo in tractatu sequenti verba
facienda sunt, per regionem hancce tam latè
grassatur, strageque tam dirâ devastat, ut atten-

tionem medicorum summam sibi jure vindicet. Duo trientes, SYDENHAMO, medico peritissimo expertissimoque testante, eorum, quos morbi chronici jugulant, per *Phthisin Pulmonalem*, pereunt *. Tabulæ etiam Londinenses (*Bills of Mortality* dictæ) multa millia singulis annis, ob causam eandem mortem oppetere, nos certiores faciunt.

Adolescentes sexûs utriûsque hæc tabes plerumque depascitur : quantùm igitur dolendum venit, pro peste crudeli, quæ misericordiæ prorsus expers, natos parentibus, uxores maritis, amicos amicis, sine ullo discrimine rapit, remedium verum nullum medicinæ scientiam adhuc patefecisse !

In insulis hisce, *Phthisin Pulmonalem* inter morbos endemicos medici jure habent.

* Med. SYDEN. Diss. Epist. p. 383. edit. Lond. 1705.

DEFINITIO MORBI.

CULLENO, celebri hujus Academiæ Nosologo, morbus, verbis sequentibus, definitur :

“ Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hecticâ, et plerumque cum expectoratione purulentâ.” In duas species *phthisin* iterum dividit, nempe in *phthisin* incipientem, “ sine expectoratione puris ;” *phthisinque* confirmatum, “ cum expectoratione purulentâ.” Sed hæ duæ species stadia diversa morbi ejusdem solummodò habendæ sunt.

HISTORIA MORBI.

INTER symptomata, quæ stadio hujusce morbi primo sese ostendunt, sequentia jure recensenda veniunt ; tussicula, scilicet, arida, nonnunquam

verò mucus spumans rejicitur ; respiratio plùsve minùsve impedita, sensusque stricturæ, ponderisve in aliquâ parte thoracis percipitur, præcipue post motum, etiam lenissimum ; spiritus crebriùs, difficiliùsque trahitur ; pulsus artierum, initio ferè naturales, citò frequentiores evadunt ; calor naturalis augetur ; perspiratioque insensibilis in sudorem levem convertitur ; vomitus, post pastum, ægrum vexat. His aut seriùs aut ocyùs superveniunt dolores, vel pectoris, vel laterum, modò fixi, modò erratici ; aliquandò lancinantes, aliquandò etiam leves. In unum alterumve latus decubitus etiam haud rarò difficilis, maciesque sensim corpus prædatur ; ægri irritabiles, languidi, inertesque fiunt.

In hoc statu, vel menses complures, vel etiam annos, res haud rarò ægri permanent : questusque illi nullos faciunt, nisi si quod facilius quàm solito, atmosphæræ mutationibus subitis afficiuntur, quæ catarrhum levem frequentiùs inducunt. Catarrhali affectione, vel remotâ, vel saltem allevatâ, pectora amicorum, æquè ac ægrotorum, tranquilla securitas iterum occupat ; sed verbis poëtæ,

——— “ Hæret lateri lethalis arundo.”

Itaque postquam hi impetus catarrhales, ter, quaterve, repetiti fuerint, tussis violentior fit, quæ horâ somni, sæpiùs adèò molesta evadit, ut oculis ægrorum somnus abripiatur. Tussis hæcce longior ac in catarrho simplici plerumque perdurat; tandemque expectoratio, mane adventante, liberior apparet. Materia rejecta primo è muco constat, qui copiosior, viscidior, magisque opacus gradatim evadit: postea veruntamen colorem viridem, formamque purulentam induit, aliquandò sanguinis striæ eâ mixtæ observantur.

Rebus ita se habentibus, macies debilitasque ingravescent: habitus corporis perit: functiones ejus infringuntur: cibi etiamsi avidè sumpti, in nutrimentum corporis nequaquam cedunt: sitisque potu crebriori minimè compescitur: respiratio fit difficilior, doloreque in aliquâ pectoris parte, ferè sub sterno, stipata; qui tussi conatibusque ad spiritum liberiùs trahendum multùm augetur.

In hoc stadio morbi, catamenia in sexu sequiori profluere cessant.

Morbo ingravescente, multò frequentior, sine multis aliis febris symptomatis, pulsus evadit. Tandem vespertinæ exacerbationes, algoribus plerumque prægressis, sese insigniter manifestant; febrisque (*Hectica* dicta) evidenter formatur.

Febrem hanc CULLENUS illustris modo sequente definit: “Febris quotidie revertens, accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rariùs apyrexia, matutinâ; plerumque sudoribus nocturnis, et urinâ sedimentum furaceo lateritium deponente.”

Fusiùs de eâ in Primis Lineis disserit, ideoque verba ipsa ad calcem paginæ mihi citare licet*.

* “A hectic fever” (ait ille) “has the form of a remittent, which has exacerbations twice every day: The first of these occurs about noon, sometimes a little later or sooner, and a slight remission of it happens about five afternoon. This last is soon succeeded by another exacerbation, gradually increasing till after midnight; but after two o’clock of the morning a remission takes place, which becomes more and more considerable as the morning advances: the exacerbations are frequently attended

Sudores nocturni circa caput, pectus, et brachia erumpentes, hanc febrem brevi comitantur; qui magis magisque, morbo cursum tardum absolvente, profusi fiunt. Pulsus et parvus, et debilis, evadit; graduque hecticæ extremo, anxietate febrili vehementi, vespere potissimum, æger opprimitur. In urinâ hecticorum sub initium symptomatum, subsidentiæ furfuraceo rubræ apparent; functiones naturales parùm turbantur; appetitus ferè minimè prostratus; sitis rarò magna; os humidum; genæ, exacerbationibus durantibus, rubore florido circumscripto tinguntur: alioquin,

——— “ Pallor in ore sedet.”

Lingua et fauces inflammatione affici videntur, aphthisque latè obsidentur; tunica oculorum adnata, margaritarum instar, colorem induit;

“ with some degree of cold shivering, or at least the patient
“ is exceedingly sensible to any coolness of the air, seeks external heat, and often complains of a sense of cold, when
“ to the thermometer his skin is preternaturally warm: of
“ these exacerbations, that of the evening is always most
“ considerable.”—*Vide* First Lines.

propterea quòd vasa debilitata fluidum serosum propellere non possunt.

Morbo ad finem urgente, omnia in pejus pedetentim ruunt. Lobus pulmonum unus alterve in ichorem putridum prorsus dissolvitur; qui vel sacco, tunicis pulmonum formato, collectus, formâ puris foetidi continuò per tussim rejicitur; vel hocce sacculo rupto, in thoracis cavitatem super *Διαφραγμα* effunditur, empyemaque funestum constituit. Ineunte morbo alvus adstricta est; versus attamen ejus finem, diarrhoea purulenta foetida (*colliquativa* dicta) usque ad extremum, cum sudoribus quodammodo alternans, malis cæteris, jamjam satis superque abundantibus, additur.

In hoc morbi stadio, tabes initio vix conspicua, rapidè progreditur, gradumque majorem, ac in aliis morbis, subiit. Genæ prominentes; oculi, adipe scilicet orbitarum penitus consumpto, cavi, languidique; pili defluxi; ungues super extremitates digitorum incurvati lividique fiunt; pedes œdemate, manus intumescentiâ laborant: Corpus mirum in modum ex-

tenuatur ; vires prorsùs prosternuntur ; spiritus fœtidus, celer difficilisque ; volæ aridæ, tandemque molestè calidæ ; frons guttis sudoris viscidî frigidique obductus ; tussis assidua nocte dieque ægrum infelicem, moribundumque vexat.

In gradu hocce morbi extremo, facies illum benè notum aspectum induit, qui scriptoribus medicis, “ *Facies HIPPOCRATICA*,” nominatur.

Usque ad finem morbi, sensibus omnibus, minimè læsis, æger fruitur ; ideoque, etiamsi in limine ipso mortis, in spem fausti eventûs vanam sæpiùs erigitur : in nonnullis attamen casibus, spes salutis omninò abjicitur. Versus finem extremitates frigescunt, deliriumque paucis, ante terminationem morbi, diebus haud rarò supervenit, ferèque non desinit ; donec,

— “ In æternam clauduntur lumina noctem.”

Modo supradicto, symptomatum gravissimorum agmen in morbo hocce exitiali, mors exoptata plerumque claudit. Symptomata jam-jam recensita, non semper ante oculos nostros

manifestè versari, phænomenaque diversa in ægrotis diversis sese ostendere, memoratu dignum est. Celeberrimus GREGORIUS in ejus prælectionibus, fœminæ, in quâ hecticæ exacerbationes summo mane semper adfuêre, mentionem facit; casumque alium narrat, ubi pro solitâ terminatione, mania vehemens ægrum è medio sustulit.

Cibi appetentia, etiamsi in morbis aliis febrilibus, plerumque multò diminuitur, nonnunquam in hoc præter naturam augetur.

In his regionibus, morbus, de quo agitur, in cursu ejus absolvendo, spatia temporis varia occupat, (à paucis, scilicet, mensibus, ad unum, duos, vel plures annos); sed veruntamen duodecim menses numerum dierum *phthisi* laborantium, post morbi impetum, plerumque explent.

Exempla quædam, at rarissima, impuberum, qui hoc morbo laborâssent, medicis antè oculos versata fuerunt; exempla attamen phthisicorum, qui ætate sunt provecti, crebrius in conspectum veniunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

CORPUS ab anno decimo octavo ad annum trigesimum sextumque *Phthisi Pulmonali* proclivius esse, experientia nos satîs docet. Tabes veruntamen juniores interdum adoritur *. Stirpe scrophulosâ natos, huic morbo, ac alios, proniores esse, medici jure contendunt. Proclivitas hæcce, (*Diathesis Scrophulosa* dicta), notis sequentibus : cute, nimirum, tenui ; capillis candidis ; colore vultûs eximio ; venis et magnis, et cœruleis ; labio superiore crasso ; voce debili, raucâ citò evadente ; pupillâ dilatatâ ; facilitè dignoscenda venit.

Quin et dispositio ad hunc morbum hæreditaria procul dubio congenita est, dispositioque hæcce, signis sequentibus in apertum sese prodit ; videlicet, formâ corporis gracili ; habitu-

* Vide HIPPOCR. Coac. Prænotion. NO. 439.

que ejus debili; thorace angusto, planoque; collo longo; humeris levatis, modoque alarum extensis. Illi temperatione hominis istâ præditi, quæ ingenium perspicax, vividumque exhibet, huicce pesti obnoxiores evadunt; ac multi, qui, ob dotes et corporis et animi suas eximias, societati humanæ decori futuros promiserunt, tabe pulmonum immisericordi ante diem periêre.

Sexus etiam muliebris præ maribus *Phthisi Pulmonali* prædispositus est.

CAUSÆ EXCITANTES.

CAUSAS hujusce morbi excitantes ad quinque capita, *Hæmoptysin*, scilicet, *Pneumoniam*, *Catarrhum*, *Asthma*, postremòque *Tubercula*, auctores medici referre solent.

I. *De Hæmoptysi*.—*Phthisin* pro hæmorrhagiæ è pulmonibus sequelâ, ferè semper habendam esse, medici olim aut vix, aut ne vix qui-

dem, dubitare videntur : eorum veruntamen de hâc re sententiæ esse me prorsùs pœnitet : propterea quòd *hæmoptyseos* exempla haud pauca, externâ vi ortæ, pulmonibus ulcerum immunitibus, nobis ante oculos quotidie versantur.

Verùm enimverò quin morbus hicce (*hæmoptoë* scilicet) pulmonicæ tabis fundamenta sæpiùs sternat, in illis phthisi jamjam proclivioribus potissimùm, in inficias minimè ibo : quò frequentiùs *hæmoptoë* recurrat, eò certiùs ad vasa pulmonum aut corrumpenda, aut ulceranda, valet. Sputaque sanguinis, in corporibus prædispositis, eò magis erumpunt, quò frequentiùs motum cruoris supramodum ægri intendunt ; effectumque huncce exercitatio corporis nimia ; nixusque ejus ingens ; tussis vehemens ; clamor validus ; diæta lauta ; animi affectuum impetus : evacuationes, vel naturales vel arte factæ, suppressæ ; producunt.

II. *Suppuratio pulmonum pneumoniæ superveniens.*—Ex causâ hâcce morbus de quo agitur, in prædispositis potissimùm, haud rarò exoritur, viscerum scilicet horum inflammatione, resolu-

tionem non ritè subeunte, at in suppuratione infaustâ terminatâ : pureque hoc modo in bronchiis collecto, tussi non statim rejecto, at remorâ abscessum ulcusve constituyente ; vel denique ulcusculis multis, à bronchiorum vesiculis tectis, receptaculaque, vomicarum nomine cognita, nactis. In hoc statu rerum quin portio puris quædam absorbeatur ; sanguineque circuitu admista, stimulum morbosum fluido huicce vitali, vel sensim impertiat, vel etiam augeat ; ideòque propulsionem sanguinis citatiorem gignat ; nemo est, qui sanè dubitat. Hinc pulsus frequens, calor auctus, tussicula sicca ; stimulo acre puris vasorum pulmonalium fibrillas irritante orta, aliaque symptomata febris istius lentæ, quæ *Phthisin Pulmonalem* antecedere solet.

III. *De Catarrho.*—Inter causas phthiseos excitantes, plerique auctores catarrhum recensent. Affectio hæcce diu perstans in substantiæ pulmonum parenchymatosæ inflammationem interdum transit, ac in suppurationem, vomicam exulcerationemque indè pedetentim, demum desinere possit ; hinc ratio patet, quare catarrhus aliquandò forsan, non admodum rarò,

ad phthisin excitandum in corpore morbo proclivi imprimis valet.

CULLENUS autem peritissimus, medicique alii haud pauci, jureque magni nominis, catarrhum causam hujusce morbi excitantem esse, dubitaverunt. Quandocunque morbus noster è catarrho originem ducere videtur, habitum phthisicum insignem in ægris, CULLENO judice, inesse, insuper observandum est.

Quin et sub initio morbi symptomata, quæ sese ostendunt, catarrhum sæpiùs ita referunt, ut inter has affectiones diagnosis haud facilè semper ducenda sit; hisce igitur propositis, sequitur, ut, catarrhus hujus pestis fundamina prima non sæpiùs ponat: minimè autem volo dicere, morbum nostrum ex hâc causâ nunquam oriri.

IV. *De Asthmate.*—*Asthma* etiam inter causas phthiseos excitantes, vel fere vel semper enumeratur: species illa utpote, *asthma* spasmodicum dicta, quod, ni scriptores medici quidam falluntur, viam tubercula sternere facilè potest.

Asthma veruntamen sine pulmonum ulceribus sæpissimè diu perstat, tandemque asthmaticus terminatione morbi propriâ diem obit supremum : asthma verò tabem pulmonalem interdum gignere minimè in inficias ibo.

V. *De Tuberculis*.—Tubercula, pro causâ hujusce morbi frequentissimè procul dubio, habenda sunt. Tubercula duplicis generis, dura scilicet, molliaque in pulmonibus sæpissimè inveniuntur. Illa corpora rotunda, alba, firma, glandulis induratis similia, per substantiam pulmonum dispersa : Hæc, tumores molles à substantiâ lævi, fuscâ, levique compositi. Tubercula hæcce, priora utpote, ad inflammationem procliviora existunt, causisque excitantibus ritè admotis, facilè revera inflammantur. Tubercula hoc modo inflammatione correpta, suppurationem citiùs patiuntur, idque puris vitiiati genus formant, quod febrem hecticam facilè gignit, corruptionemque pulmonum inducit.

Tumores hosce à labe scrophulosâ pendere, medici, vel plerique, vel omnes, nunc dierum, sibi persuasum habent. Doctor REID verun-

tamen, medicus Londinensis, secus sentit, libroque ejus (*Essay on Phthisis Pulmonalis* dicto) verbis sequentibus utitur *. Sententiam hancce GREGORIUS noster celeberrimus in libello ejus (de Morbis Cœli Mutationibus Medendis), optimè redarguit: “Præterea” (ait) “magna
 “certè similitudo, et analogia est inter tubercula et ulcera phthisica in pulmonibus, et
 “tumores abscessusque scrupulosos in cæteris partibus corporis; eandem speciem externam, et si cultro inciduntur, internam
 “habent eandemque spissitatem et duritiem: eodem modo à parvo initio ad molem, sæpè magnam, paulatim crescunt, et plerumque sine magno dolore, aut molestiâ, tardè et
 “ægrè suppurant, et nunquam in suppurationem

* “That people with a scrophulous habit of body, or with their glands swelled or indurated, may have at the same time a pulmonary consumption, does no more prove the disease to be scrophulous, than it would be proved cancerous, should the patient labour under that dreadful malady.” In aliâ parte ejusdem tractatûs disserere pergit: “That as scrophula is a glandular complaint, and no lymphatic glands have as yet been discovered in the substance of the lungs, that such glands do not exist, and therefore that tubercles of the lungs have no connexion with scrophula.”

“ benignam abeunt ; sed ulcera fœda et vix sanabilia relinquunt. Denique in sectionibus eorum, quos, scrophula planè occidit, tumores scrophulosi in omnibus corporis partibus, et tubercula in pulmonibus ejusdem speciei, haud rarò reperiuntur.” Hæc acri judicio perpendens Professor eruditus verbis sequentibus concludit : “ *Phthisin pulmonalem* à dispositione scrophulosâ sæpè oriri, et verum morbum scrophulosum esse.”

Sententiam medici hujusce expertissimi argumentis et rationibus confirmare supervacaneum foret. Quòd si res ita se haberet, è centum, qui hoc morbo obnoxii vivunt, in nonaginta saltem habitum corporis scrophulosum inesse, observare liceret.

Morbilli, variolæ, exanthematæque omnia, CULLENO teste, viam phthisin facilè sternunt. Materiam etiam luis venereæ, scorbutique morbosam, medici quidam inter causas nostri morbi excitantes habent.

Profluvia sive naturalia, sive vetera undecun-

que orta, corporis plenitudinem sæpiùs gignunt, quæ in *phthisi* proclivioribus effectus ejusmodi edit, ut pulmones inflammatione et corripuntur et facilè tabescunt.

Calculi etiam in pulmonibus formati, pulvis, etiam scobes, ferreæ, ligneæ, lapideæve, quas fabri in pulmones cum spiritu extrinsecùs trahunt; quin et clave in hæc viscera delapsi, *phthisin* interdum movent*.

Contagiosam denique esse *phthisin* medici observârunt, eâ de causâ observationes RIVERII imprimis inspiciantur†.

RATIO SYMPTOMATUM.

1. *Tussis*.—Ob consensum inter laryngem pulmonesque interventu nervorum insignem,

* Vide MORTON. Phthisiolog. p. 267. et 277.

† Vide Centur. i. Observ. 35. et 99.

quidcunque hos irritare, illam etiam offendere facile potest. In statu rerum hocce, siquando vasa pulmonum aërifera, vel muco, vel tuberculis, vel etiam pure irritentur, larynx quoque se malè habeat oportet : ideòque propter consensum, qui huic per nervos intercedit cum musculis, ope quorum spiritus trahitur, tussis movetur, quæ lædentia è pulmonibus expellit.

II. *Respiratio difficilis*.—Affectio hæcce partim è fistulis pulmonum, transitum aëri denegantibus, originem ducit, partim etiam ex aliâ causâ oritur ; dolore nimirum impediendi, ne phthisicus cavitates thoracis, in amplitudinem debitam, dilatare posset. Eâ de causâ sanguis, nec circuitum per pulmones expeditè facit, nec è purpureo in vitalem, *oxygenio*, scilicet, in pulmones hausto, ritè mutatur. Verum enimvero, quò difficiliùs sanguis per pulmones transagitur, quoque minùs in arteriosum convertitur ; hoc sanè crebriùs operosiùsque spiritus et recipitur et redditur.

III. *Febris hectica*.—De causâ febris hujusce exitialis pauca supra disputavimus ; eam partim

à debilitate ægri totius, quâ corpus humoribus propriis ultra modum debitum excitatur, partim etiam pure è pulmonum ulceribus absorpto, vasisque absorbentibus in sanguinem delato pendere, hoc loco observare sufficiat.

IV. *Debilitas et macies*,—sanguinem in pulmonibus, ulceribus obsessis, corporis nutritione non ritè paratum, chylo, scilicet, in fluidum vitale non jure mutato, pro causâ agnoscunt. Quin et, pus hinc absorptum sanguinem, humoresque corrumpit, vasaque absorbentia in motum justo citatiorem ciet, modo quo adeps è telâ cellulosâ resorbetur.

V. *Sudoris viscidi frigidique (colliquativi dicti) origo*,—à debilitate laxitateque arteriarum exhalantium, ni fallor, ducenda est ; propterea quòd illa vasa, hoc modo debilitata, plus justo facilè dilatantur ; ideòque, ad humores in ea ex corde arteriisque amplioribus propulsos, recipiendos nimis prona evadunt. Cor autem arteriarumque majores ob hecticæ accessiones solitò incitatiùs in motum corripiuntur.

VI. *Diarrhœa colliquativa*,—causas easdem ac sudor agnoscit : quandoquidem etenim inter exhalationes per cutem, superficiemque intestinorum internam, ea ratio valeat, ut utraque profusa, altera parcior sanè evadit, phthisi laborantibus facilè accidit, ut alvo solutâ, sudor cohibeatur ; sudore autem manante, alvus consistat : eâ de causâ et sudor et diarrhœa phthisicos alternis vicibus urgent, prout febris hectica vel instet vel remittet.

VII. Denique, *Sputum purulentum*,—striis sanguinis interdum commixtum ex abscessu rupto, vasisque vicinis, sanguinem vehentibus, erosio, originem procul dubio ducit.

DIAGNOSIS.

IN stadio *phthiseos* incipiente, diagnosin accuratam inter eam, catarrhumque instituere sæpiùs difficillimùm est : in stadio attamen confirmato, ubi febris hectica, sudores profusi, diar-

rhœa colliquativa, maciesque corporis insignis, ægrum vexant, morbus, de quo agitur, à catarrho omnibusque aliis facillimè dignoscitur.

Si medicus igitur, de naturâ morbi anceps hæreat, summâ cum curâ animadvertere debet; quæ mala ægrum oppugnant, qualemque materiam pectore extussiat: hisce etenim ritè perspectis, penes eum plerisque in casibus discernere erit, num catarrho æger laboret, num tabe lentâ consumatur.

Tussis à catarrho pendens plerumque initio sicca est, brevi veruntamen humida evadit, pituitaque è naribus simul destillat. Tussicula autem phthisicorum, non solùm sub primo morbi impetu sicca est, at vel menses, vel etiam annos complures eadem perstat. Tussim quæ catarrho laborantes, vexat, vehementem ferèque perpetuam esse, insuper observandum est. Tussim verò tabidis molestam mitem esse, temporibus quamvis incertis, sine causis evidentibus, et cessare et denuo impetum facere, plerisque medicis, satis superque, ni fallor, liquet. Sin autem medicus adhuc dubitet, *phthisi* marcescentes,

inter tussiendum, sonum edere haud dissimilem ei, qui ex vase cavo prodit, eum certiore facere liceat *.

Catarrhus febrem, febriculamve, haud rarò excitat ; at hecticæ illi prorsùs alienam, quæ vires *phthisi* confirmatâ marcescentium miserabiliter sternit.

Catarrhus, vel à frigore corpori applicato, vel à contagio, semper oritur ; ac, nisi si epidemicè grassatur, medicamentis, remediisque propriis brevi cedit. Inter causas *phthiseos* excitantes, catarrhus etiam enumerandus interdum venit ; at undecunque concitata, medela vel rarissimè vel nunquàm admittit.

In *phthisi* confirmatâ utpote sputum, viridem, crassum et aquæ puræ immersum fundum petens, æger expectorat ; catarrho autem laborantes mucum, fluidum, scilicet, pellucidum, aquâ

* Vide RYAN's Enquiry into the Nature, Causes, &c. of Consumption.

ferè leviùs, ideòque, in eam natans, extus-
siunt *.

Testibus veruntamen ejusmodi minimè con-
fidendum est ; propterea quòd haud rarò mu-
cus et densus et opacus evadit : pus autem, ob
bullas aëris quasdam extricatas, aquæ super-
natat ; dummodo alter, densitatem plùs justo
nactus, ad fundum subsidet.

Testes idoneos, ope quorum inter mucum et
pus accuratiùs distinguere possumus, CAROLUS
DARWIN, experimentis compluribus solertè fac-
tis, compertos habuit : horum periculorum con-
sectaria hæc loci paucis ostendam.

Pus pariter ac mucum in acido *sulphurico*
solutionem subire, pericula hæcce ritè nos do-
cent ; aquâ veruntamen solutione affusâ et hic
et illud ab acido *sulphurico* separantur : pus au-
tem, vel imum petit, vel, vase agitato, liquo-
rem turbidum reddit ; mucus verò, aut liquori

* Sputum primùm salsum, dein amarum, postea dulce,
in *phthisi* excerni HIPPOCRATES dudum annotavit. Vide
HIPPOCR. de Intern. Affect.

supernatat, aut in flocculos divisus, fluido celeritèr moto innatat.

Aqua *potassæ*, et mucum, et pus, hoc vero ægriùs, dissolvit. Rebus sese ita habentibus, aqua pura affusa, pus disjungit, præcepsque in fundum agit. Mucus autem his mutationibus immunis evadit.

Verum enimvero hæcce pericula scrupulum medico interdum injicere possunt. GREGORIO-que nostro, febris hectica, macies corporis diu perstans, cum expectoratione viscidâ purulentâque stipata, signa *phthiseos* pathognomica habenda sunt.

PROGNOSIS.

Quod ad prognosin in *phthisi* quidem pertinet, eventum faustum rarissimè sperare nobis licet. Viginti aut etiam triginta millia insulis, hacce vicinâque *, hoc morbo è medio quo-

* Hibernia.

tannis tolli, calculis positis, ni fallor, patet; plerosque *phthisi* laborantes, seriùs, aut ocyùs, snpreum obire diem, satis superque constat; pauci autem orci ostia, etiam appulsi, fatum minitans evasêre, vitâque ad senectutem unâ cum salute potiti sunt.

Quandocunque *phthisis* à tuberculis pendet, corpusque morbo jam opportunum adoritur, æger suo capite ominetur.

Quin et de periculo morbi, causâ qualicunque orti, gradu febris hecticæ sequelarumque ejus judicandum est. Certò citiùs est, quòd si corporis macies insignis, capilli capitibus defluentes, virium prostratio magna, diarrhœa colliquativa, sudoribus nocturnis profusis, eodem tempore urgentibus, ægros opprimant, si sputum vel gravitèr oleat, vel prorsus supprimatur, si facies Hippocratica appareat *,

“ Non vota, non ars ulla correptos levant.”

* Vide HIPPOCR. Aphor. sec. v. Aph. 12. sec. vii. Aph. 16. Prognos. lib. 1. Vide etiam RIVER. lib. vii. cap. 1. p. 345 et 356.

Phthisis hæreditaria à thorace male confirmato pendens, eventum infaustum, vel plerumque, vel semper, præsat; quippe quæ è causâ immobili originem ducat.

Verum enimvero *phthisi* etiamsi tam funestâ laborantibus suppetias ferre medicus remisque velisque conari debet, ideòque omnia remedia quæ ad morbum vel subigendum vel mitigandum valere possint, adhibeat semper oportet. GREGORIUS expertus noster, prælectionibus suis auditores certiores facere solet, se ipsum tres fœminas nôsse, quæ *phthisi* confirmatâ laborassent; quarum autem duæ, remediis propriis adhibitis, convaluissent; ægras veruntamen huicce morbo procliviores fuisse, (nam tabes pulmonum fratresque sororesque earum trucidaverat), insuper observandum est.

Phthisi vel *Hæmoptœe* vel catarrho superveniente in ægris labe hæreditariâ, immunibus potissimum aliquandò succurritur; quinetiam parentibus phthisicis nati, si pus mite facillè extusciunt, nec thorace angusto laborent, nec hec-

ca gravis vires eorum prostraverit, interdum morte immunes evasêre. Mania cursui *phthi- seos* nonnunquam obstare videtur ; sed, mente sanâ factâ, signa infausta redierunt, ægrique animam citò effuderunt ; interdum veruntamen morbus prorsus sanatur.

Autumnus certiùs ac ver phthisicis mortem intentat, propterea quòd frigus hiemale morbi violentiam semper auget ; dum aër æstivus et siccus et temperatus ægris plerumque aliquid levamini est.

Graviditas etiam lactatusque *phthi- seos* gradum haud rarò, miris modis, pro tempore sistunt * ; partu attamen edito, lactatuque finito, sympto- mata morbi omnia, graviora etiam, revertuntur, morsque brevi ægras corripuit.

* Vide MORTON. Phthisiolog. cap. iii. p. 33.

DE PHÆNOMENIS, QUÆ POST CADAVERA SECTA, IN CONSPECTUM VENIUNT.

CADAVÉRIBUS, *phthisi pulmonali* mortuorum ritè inspectis, de morbi naturâ plerisque in casibus satis superque docemur. Cavitate etenim thoracis incisâ, pulmones plerumque, vel partim, vel prorsus, pleuræ costali, septo transverso, pericardioque adhærent. Incisione per pulmonum substantiam etiam factâ, tubercula, tum quod ad formam, tum quod ad situm, haud parùm diversa, dura, subalbida, glandulis similia, conspiciuntur; pars interna eorum nonnunquam sicca, nonnunquam inflammata, nonnunquam verò materiâ puriformi plena evadit. Tubercula hæcce, unum cum altero, interdum communicant; vomicæque in hoc modo formantur; quæ in cellulas bronchiarum pus effundunt.

De corporum horum formatione origineque, medici inter se dissident et discordant. MORTON aliique illa pro tumoribus glandulosis habenda esse, semetipsos persuasos habuerunt : in pulmonibus veruntamen glandulas lymphaticas anatomicis nondum scalpellum patefecit. Alii glandulas mucosas vituperant. Annon illæ, (scilicet, glandulæ,) per tracheam ipsam bronchiosque fusiùs iis scatent, in quibus tubercula nunquam in conspectum produnt ? Quomodo-cunque res se habet, de similitudine, quæ his tuberculis pulmonum, cum tumoribus scrophulosis est, nullus dubito ; idcirco quia argumenta GREGORII egregii suprà citata, hanc similitudinem satis superque probant.

Exulcerationes, effusionesque puris in bronchiâ, pro tuberculis in substantiâ pulmonum, interdum inveniuntur ; exulcerationes effusionesque ejusmodi, vel *Pneumoniâ* vel *Hæmoptysi* ortæ, aliquandò nobis ante oculos versantur. Exempla veruntamen hujusmodi aut rariùs, aut fortassè nunquam, nisi si in corporibus maximè prædispositis, medico sese ostendunt.

RATIO MEDENDI.

MORBO, de quo agitur, in stadio confirmato difficillimè succurritur ; remediaque omnia, vel nil omnino valent, vel egressum è vitâ faciliorem solummodò præbent : hinc ratio patet, quare, morbo venienti occurrere, labor heu ! peractu difficillimus, medicum semper oportet.

“ Principiis obsta : serò medicina paratur,

“ Jam mala per longas convaluère moras.”

Causâ morbo venienti occurrendi, indicationes curativæ tres attentionem et medici et ægri summum sibi jure vindicant.

1mo, Sedulò cavendum est, ne tubercula in pulmonibus gignantur.

2do, Summis viribus nitendum est, ne tubercula ingenerata inflammatione corripiantur.

3tio, Mitigare ulla graviora symptomata.

1. Formationi tuberculorum obviam eundum est,—ideòque causæ excitantes evitandæ utpote veniunt. Signa *phthiseos* incipientis omnia, corporis totius debilitatem facilè inducent ; debilitas autem corporis generalis, ni medici falluntur, ad tubercula gignenda haud parùm valet : ideòque *phthisi* incipienti laborans, corpus suum firmare, at nec stimulis fortioribus irritare, nec nimis implere, ritè debet. Quâ de causâ æger et omnia quæ pulmonibus laborantibus detrimento forent sedulò vitet ; et regimine idoneo, et etiam remediis debitis in auxilium pro re natâ vocatis, vigorem pristinum sibimetipsi restituat. Voti de hâc re æger meliùs potitur, si à vitâ sedentariâ ritè abhorreat ; si negotiis omnibus vacet, quæ animum vel curâ coquant, vel solitudine vexent. Caveat etiam ne à cœlo humido mutationibusque frigoris et caloris subitis, quid detrimenti capiat.

2. Ad idoneam diætam confugiendum est.—De utilitate cibi ex lacte farinaceisque compositi in *phthisi* incipiente, omnibus medicis, ni fallor, idem animus. Hujusmodi etenim diæta,

dum succi mitis bonique et corpus satis nutrit, et cor arteriasque in motus vel abnormes, vel justò citiores, minimè ciet. Lac animalium, aut gramine aut herbis viventium ; quippe quòd pars ejus serosa, acescendo proclivitati ad putredinem obstet ; pars autem oleosa, glutinosaque nutrimentum præbeat, phthisicis solatio esse, plerique medici sanè existimant : cautelas autem de usu ejus observandas, et senex divinus * et elegans imitator ejus † in medio proferrunt. De cujus autem animalis lacte phthisicis potissimùm convenienti, medici inter se multùm dissident. Lac asinum, omnibus aliis haud pauci anteferrunt ; propterea quòd, teste HIPPOCRATE ‡, *cùm minùs nutriet, magis tamen calorem temperet*. Lac autem hocce, ubique comparari minimè potest ; ideòque lac vèl caprinum, vel etiam vaccinum, vicem ejus præstet. Causâ autem præcavendi, ne lactis hujusce spissitas et lenta et etiam pinguis vascula pulmonum jam-jam plùs justo debilitata infarciendo, suffocet ;

* Vide HIPPOC. sect. 5. Aphor. 64.

† Vide CELSUS, de Re Medicâ, lib. iii. cap. xxii.

‡ De Affectionibus Internis, sect. xi.

hocque modo visceris hujusce obstructionem spatium, nimis latum, antea occupantem augeat, si mens me ritè moneat; necessarium foret, id vel aquâ vel hordei, radicisve glycyrrhizæ, ari, &c. decocto diluendo, et subtiliùs et fluidiùs reddere priùs ægrotis quàm porrigendum sit.

HIPPOCRATIS* jussui morem gerens parte aquæ mulsæ tertiâ, vel medicus vel æger ipse lac permisceat.

Verum enimvero, si lac in ventriculo acescat, ructumque acidum, malaque alia, ex alimentis malè concoctis, originem ducentia, moveat, pauxillùm sacchari, rosarumve conditarum multo cum commodo, BAGLIVIO† erudito experitoque testante, ei admiscendum est.

Medici alii lacte cocto acidoque vegetabili quodam commisto, oleum butyraceum, partemque caseosam, acido præcipitam, ei auferunt;

* Vide HIPPOCR. loco supra citato.

† Vide BAGLIV. Prax. Med. p. 325.

hocque modo lac in fluidum serum lactis dictum, mutant, quod indole acidâ sua proclivitate humorum ad tenuitatem morbosam subeundam, hisce iudicibus, optimè corrigit : etiam si corpore in nutrimentum secedere minimè queat.

Medentes etiam alii, se optimo cum effectu in morbo nostro fluidum hocce animale cum aquæ Selteranæ portione duplâ iterum iterumque miscuisse, nos certiores faciunt. Aquam etenim mineralem tenuissimam hancce portione salis perexiguâ, halituque sulphureo subtilissimo præditam, lacte mistam et putredinem infringere, et etiam corpus plûsve minûsve nutrire, hi medici se persuasos habent ; misturamque, de quâ agitur, hunc effectum potissimùm edere, si modo æger nec stomacho fastidiente laboret, nec portionem liquidi debitam per menses aliquot haurire aversetur.

3. Exercitatio debita nec nimis lenta nec nimis laboriosa, æger utatur oportet. Ad usum exercitationis ante meridiem æger confugiat, quan-

doque nec tempus pluviosum est, nec aquilo subsolanus sperat *. Hicce igitur loci pauca de remedio illo eximio à medicis celeberrimis, SYDENHAMO, videlicet, BOERHAAVIOQUE ad tabem pulmonalem sanandam proposito, laudibusque summis in cœlum elato, motu nimirum corporis quotidiano equitationi inducto, disserere liceat. “Hoc tamen sanctè assero, quod neque Mercurius in lue venereâ, neque Cortex Peruvianus in intermittentibus efficaciores exertent, quàm in *phthisi* curanda exercitium jam laudatum; modo æger curet, ut lintheamina lecti probè fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiantur †.”

Ab HIPPOCRATE Anglicano dissentire mihi ex intimis sensibus dolet, in verba veruntamen nullius magistri jurare addictus, equitationem phthisicis plùs nocere, quàm prodesse, nisi si cautiùs in usum adhibeatur, nullus sanè dubito.

* Vide HIPPOC. sect. iii. Aphor. v.

† Vide SYDENHAM.

De hâc re sententiam meam verbis exequi liceat. Vires *phthisi* laborantium, equitationeque per horam unam duasve mane utentium, haud rarò refici, facilè agnosco. Tempore vero pomeridiano vespere *phthisicos*, semper ferève, debiles, languidos, morboque etiam magis implicitos, equitatu peracto, domum redire, medicis peritioribus omnibus, ni fallor, liquet. Sequitur igitur, ut in *phthisi* equitatio, vel tempore pomeridiano vel etiam vespere, inter lædentia jure habenda sit. Pulsus arteriarum manè et tardiores et tranquilliores, tempore pomeridiano, subque noctem citiores fieri, calore aucto, symptomatisque febris aliis stipatos, nulli experto dubium est. Hoc itaque in statu rerum exercitatio cujuslibet generis, oleum camino solummodò addit.

Hecticâ igitur laborantes, cœlumque mutaturi, auram videlicet salubriorem commodave aqua minerali qualibet orta petentes, moniti, itinera tarda, nimirum per paucas horas quotidie solummodò maneque continuata, faciant; admonitu hocce omisso, quàm plures *phthisi* impliciti *Bristolium* ivissent, crasque paucosve in-

tra dies mortem inopinatè, subitoque oppetiissent *.

4. Phthisicis sedis pensilis (Anglicè *Swing*) usum Doctor C. SMYTH de meliore notâ commendat. Si medici hujusce experientiæ fides habenda sit, corpore ægri hoc modo per spatium decem minutorum agitato, et tussis compescitur, et pulsus arteriarum plerumque minuuntur; historiasque *phthisi* laborantium quatuordecim in commentarios refert, quibus remedium hocce veram sanitatem se judice reddidit: ægros sede pensili, per decem minuta ad semihoram plerumque usos fuisse, Doctor C. SMYTH nos certiores facit. Verum enimvero, medentes alii remedium, de quo agitur, eventu minimè æquè fausto iterum iterumque in usum adhibuerunt †.

* “Opus est, si vires patiuntur, longâ navigatione, cœli mutatione sic, ut densius quàm id est, ex quo discedit æger, petatur. Si id imbecillitas non sinit, nave, tamen, non longè, gestari commodissimum est.”

Vide CELSUS, lib. iii. cap. xxii.

† “We are sorry to say,” (ait Doctor DUNCAN senior, de libello Doctoris SMYTH, Commentariis Medicis ejus in annum 1788 disserens,) “We are sorry to say,

5. Si scriptoribus medicis quibusdam fides habenda sit, navigatio longa tabem pulmonalem nonnunquam curavit *. Verum enimvero navigationes insuetis potissimum, iisque quibus vires multum deficiunt, non solum non proficere, at plurimum nocere, vel etiam mortem approperare, animus mihi neutiquam pendet.

“ that, from our own experience, we cannot say much in favour of Swinging. Since the publication of Doctor SMYTH’s treatise, we have had recourse to it in a considerable number of cases : in some few, where there were symptoms giving a presumption of phthisis, benefit seemed to arise from it : in others, though employed at a period when the symptoms were very slight, it had no influence either in checking the progress of this insidious disease, or in preventing its fatal conclusion. And, indeed, we have not met with any one case, in which any material benefit arose from its employment. With some patients, the sickness it occasioned was so distressing, that they could not be prevailed upon to give it a proper trial ; while, with others, it produced no obvious effect whatever, and particularly no change in the state of the pulse.”

Aliorum medicorum experientia à sententiâ Doctoris DUNCAN, de remedii hujusce viribus, ni fallor, parum dissidet ; nam ad usum ejus in morbo nostro curando, vel rarò vel vix unquam succurritur.

* Vide GILCHRIST on the Use of Sea Voyages, &c. et ejus chartulas in libris “ Edinburgh Medical Essays” dictas.

Aëra marinum, quippe qui terrestri purior habeatur, commoda in *phthisi* vel curanda vel mitiganda navigatione orta augeri, sunt qui contendunt. Alii verò aëra mare circumgentem aëri terrestri commistum phthisicis detrimento ferre, nos ritè docent *. Sequitur, ut aër in mare magno, procul, scilicet, terrâ, solummodo *phthisi* laborantibus prosit; ideòque vel in oram maritimam migrare, vel nave at non longiùs vectari, in morbo nostro parùm proficiat.

Vestitu ad exhalationem cutis eliciendam ritè apto *phthisi* laborantes utantur: ideòque induseum laneum vel xylinum cuti proximum habeant oportet. Verum enimvero quùm ob tempestatis in insulis nostris vicissitudines, perspirationem cutis insensibilem, vestimentis etiam laneis constanter ritèque sustentare, opus perdifficile sit, impetu morbi primo phthisici in has regiones migrare debent, quibus æstates longas hiemesque quæ JUPITER propitius donat: ideòque à Britannîâ, Italiam, Hispaniam,

* Vide RUSH's Inquiry, &c. vol. ii.

insulam Madeiram, insulamve Balearem Minorem, &c. commodissimè itur. Migrationes ejusmodi vel ad morbum nostrum præcavendum, vel ad gradum ejus sistendum sæpiùs valere, minimè anceps hæreo.

De effectibus à cœli mutatione in *phthisi* mendo, GREGORIUS noster verbis sequentibus loquitur : “ Multi nostrorum quotannis, qui omnia signa habent tuberculi in pulmonibus, in stante hieme, cœlos mitiores petunt, ibique manent per heimem unam vel alteram. Nonnulli à morbo prorsus liberantur, et in patriam sani et robusti redeunt, nec ulla postea *phthi-* *seos* signa percipiunt ; alii autem, qui unam tantùm hiemem perægrè morati sunt, in patriam redeunt, sese credentes sanos et incolumes : at primâ hieme morbo pristino corripuntur, et brevi tempore pereunt.”

II. Ne tubercula in pulmonibus formata inflammationem subeant, medicus summis cum viribus nitatur oportet.—Sin autem inflammationem corripiantur, est medici inflammationem hancce quàm primùm discutere, propterea quòd

pulmonibus semel ulceribus obsessis, medicamenta ad *phthisin* sanandam, plerisque in casibus, minimè valent.

Inter remedia efficacissima, ad quæ causâ inflammationem præcavendi decursum est, detractio sanguinis generalis, jure habenda est: stadio igitur *phthiseos* hocce, sanguis pro re natâ, pro violentiâ nimirum morbi, ægrique viribus mittatur oportet. Auctoritate MORTONI moneamur, ut sanguis è brachio ab unciis sex ad octo vel decem, subinde detrahatur; effectum eundem epispastica pectori imposita præstant.

Nec phthisicis in hoc gradu morbi alienum erit, si medicus ad exulcerationem confugiat; utpote, si unguento idoneo superimposito caveat, ne pars exulcerata cuticulâ immaturè obducatur. Exulceratio veruntamen perpetua, ægro, me judice, haud parvæ molestiæ foret: ideòque, materiam è parte tuberculis inflammatis, quàm proximâ, setaceo videlicet facto, detrahendam esse, ut moneam, adducor.

Alvus, laxantibus propriis adhibitis, ritè soluta tenenda est; catharticisque etiam lenibus, *manna* scilicet, pulvere *rhei palmati*, *sub-muriate hydrargyri*, enematisve quotidie ducatur oportet. Verum enimvero cùm fluxus ventris, aut nimis vehemens, aut sæpius inductus, pulmonum inflammationem rariùs discutiat *, at vires ægri multùm frangat: fluxusque ipse difficiliùs sistatur; venter, me iudice, nunquam acritèr evacuatur oportet.

Sales quidem medii emeticaque eâ quantitate sumpta, quâ nauseam tantùm excitent, quippe quæ sanguinem ad superficiem externam facilè eliciant, ad inflammationem pulmonum discutiendam, plùsve, minùsve, forsàn conferre possint. In hoc *phthiæ* stadio medici haud pauci peritiores emeticis dosibus plenis multùm arident; illis iudicibus medicamenta vomitoria ritè, cautèque, adhibita, è re ægrorum vel plerumque vel semper erint. Verum enimvero si sententiæ peritiorum adversari nobis liceat, ab usu vomitionis plenæ in hoc morbo dehortaremur, quippe

* Vide ETMUL. tom. ii. c. 27.

quæ si mens quidem nos ritè monet, in morbo, de quo agitur, ut cum maximè remedium anceps, habenda sit. Sanguine etenim, vi incitatio-
tiore, per pulmones inter vomendum propulso, *hæmoptoë*, non solùm promptiùs movetur, pulmones etiam ipsi, me judice, inflammationi obnoxiores redduntur, utpote si ægro thorax angustus est.

Tussi vehementi, quæ viscerum laborantium inflammationem facilè intendere possit, remediis propriis, vesicatoriis, scilicet, pectore impositis, potulentis quæ et fauces illinunt, et acria obtundunt, usuque *opii* temperato obviam eundum est.

Diæta parca, quæ concoctionem facilè subit, quæque dum corpus nutrit, nec cor nec arterias in motus justo citatiores ciet, phthisicis, ni fallor, optimè convenit. Diætam idoneam hancce à ptysanâ, vel milio, vel etiam oryzâ, lacte quantitate debitâ adjecto conficere, liceat. Sorbitio etiam acidula quem è farinâ acescente

Scoti parant, linguâ eorum "*Sorvens*" designant, *phthisi* laborantibus ritè prodest *.

Digitali purpureæ in morbo nostro curando, medici peritiores haud pauci multùm arrisere et adhuc quidem arrident. De viribus attamen remedii hujusce modoque operandi patronis ejus inter se minimè convenit. Medentes scilicet quidam *digitalem* ad secretionem minuendam, actionemque absorbentium augendam potissimùm valere, sibimetipsis persuasum habent : alii verò, medicamentum hocce ob vires motum et cordis et arteriarum tardandi, quæ ei insunt, solatium phthisico afferre contendunt.

Remedii hujus fautores, Doctores FOWLER, DRAKE, BEDDOES, MOSSMAN, &c. arte medicinali revera excellere, eosque de virtutibus ejus in *phthisi* medendâ eximiis, haud inexperitos fusiùs loqui, in inficias minimè ibo ; quan-

* GREGORIUS Professor noster in prælectionibus ejus eximiis, transitum à victu tenui solitoque ad lautiolem è re ægri manifestè esse, auditores ejus certiores autopsiâ facit.

doque veruntamen, vires ejus specificas promptiùs commemorant vel expectationes falsas lectori commovent, vel spem nostris omnino destituunt.

Doctor BEDDOES ejus in libello de tabidis *, sententias *digitalis* laudatorum Doctorum FOWLER et DRAKE potissimùm experienciâ propriâ ratas habet ; remediique hujus virtutes, verbis in calcem paginæ transcriptis prosequitur †.

Doctor DRAKE de viribus hujus medicaminis disserens, verbis sequentibus utitur ‡.

* Essay on Consumptions.

† “ I daily see many patients advancing towards recovery
“ with so firm a pace, that I hope consumption will hence-
“ forward as regularly be cured by the fox-glove as ague
“ by the Peruvian bark. Could we obtain a single auxi-
“ liary for fox-glove, such as we have in many instances for
“ the bark, I should expect that not one case in five would
“ terminate as ninety-nine in an hundred have hitherto. But
“ I believe a majority of cases will yield to simple fox-
“ glove. It is evident that no cases need be suffered to ad-
“ vance beyond the first stage, without the application of
“ this medicine, and few into it.”

Vide Med. and Phys. Journal. vol. ii. p. 418.

‡ “ It has for several years been given in pulmonary hæ-
“ morrhagy with effect, and certainly will continue to be so

Verba Doctoris MOSSMAN, de virtutibus hujus remedii loquentis, etiam citare liceat *.

In stadiis *phthiseos* prioribus, remedium, de quo agitur, Doctoris MOSSMAN judice, virtutes

“ with the intelligent, whatever may be the result of its
“ trial in phthisis. I am happy, however, to say, that the
“ success which has hitherto attended the exhibition of the
“ digitalis in phthisis, has been very considerable : several
“ patients in its confirmed state have been cured by this re-
“ medy : almost all have been relieved : life has even been
“ protracted by it ; and when death has taken place, whilst
“ the system was under its influence, it had been free from
“ pain or struggle, my expectations have been answered,
“ and Dr FOWLER, I understand, from further trials, is fix-
“ ed in his former favourable opinion.”

Vide Med. and Phys. Journal. vol. ii. p. 418.

* “ I have prescribed the digitalis for upwards of twelve
“ months; and during the last six of that period, I have had
“ a very ample experience of its powers. I am now fully
“ persuaded, that, by a judicious management of the plant
“ variously combined, I can obviate pneumonic inflamma-
“ tion with as much certainty as I can arrest the progress
“ of an intermittent fever, by means of the bark of cin-
“ chona. Again, I am persuaded, that if pulmonary con-
“ sumption be divided into four stages, the digitalis will
“ very certainly cure the three first, and as certainly alle-
“ viate the distressing symptoms of the last.”

Vide Med. and Phys. Journal, vol. iv. p. 309.

specificas in morbo curando sibi jure vindicat. Vires sedantes insignes in *digitale* inesse, strenuè contendit; viribusque ejusmodi prædita, irritabilitatem fibræ muscularis morbosam compescit; irritabilitatemque hancce corrigendo, effectus salutares in tabem pulmonum edit *.

Digitalem phthisi laborantibus sæpiùs profuturam esse, medicorum illorum aliorumque experientia palàm procul dubio facit *. Remedium veruntamen hocce ne specificum in morbo nostro quidem habendum est: casibusque per plurimis in *Nosocomio Regio Edinensi* adhibitum, vel ad tabem *pulmonalem* sanandam, vel ad gradum ejus longiùs sistendum, hactenus parùm valeat. Quò maturiùs in auxilium vocetur, eo certiùs effectus optandos præstabit.

In tabe pulmonum tuberculis ortâ, *digitalis* ritè cautèque, dosibus, videlicet, parvis bis indies adhibita, ægro prodesse vix ac ne vix qui-

* Vide Essay on Glandular Consumptions.

† Vide KINGLAKE'S Remarks on the Effects of Digitalis.
Med. and Phys. Journal, vol. iii. p. 120.

dem, ei damnum inferre, potest. Doses pro re natâ augeatur, usque dum effectus manifestos in systema generale præstiterit.

Inter symptomata graviora, quæ hujus remediï usum sæpiùs vel comitantur, vel sequuntur, vertigo, ægritudo, nauseaque jure habendæ sunt. Historiam hujusmodi in Commentarios à Doctore DRAKE relatam invenimus. Æger, dosi *digitalis* parvâ sumptâ, et capite et stomacho citiùs laborabat. In hoc statu rerum Dr DRAKE, multo cum commodo, ad usum acidi *citrici* impuri, succi, nimirum *lemonum*, confugit : nausæâ scilicet vertigineque hoc modo sublevatis remedium, quantitate majore tutò facilèque præscripsit *. Guttis tincturæ *opii* quatuordecim, cum singulis tincturæ *digitalis* dosibus commistis, vomitus, DRAKE teste, interdum præcaveri potest : iisdem veruntamen modis languorem, vertiginem, nauseam, cephalalgiamque rariùs removeri posse, medicus hicce nos certiores facit.

* Vide Med. and Phys. Journal, vol. ii. p. 419.

Dr FOWLER decocto *digitalis* potissimùm ar-
ridet, semper etiam utitur; medico hocce sua-
dente, ægri decocti semunciam, bis, terve indies,
sumant. Paucis in casibus se dosim eandem
quater per viginti horarum spatium adhibuis-
se, FOWLER nos certiores facit. Dr DRAKE se
ad usum tincturæ saturatæ confugisse, nos ritè
monet. Tincturam autem hancce è foliorum
exsiccatorum unciâ unâ in pulverem crassum
tritâ, spiritûsque diluti (Anglicè *Proof spirit*) un-
ciis quinque solutâ, compositam esse docemur.
Tincturæ hujus saturatæ, ægri, DRAKE mo-
mente, vel guttas quindecim vel viginti bis in-
dies capiant. In quibusdam veruntamen ex-
emplis dosim ad guttas nonaginta vel centum;
ægrotis, etiam macie debilitateque insignibus la-
borantibus, tuto sensim auxit.

Dr MACLEAN de *Sudbury* in comitatu *Suf-
folciæ*, viribus remedii, de quo agitur, in tabe
pulmonali curandâ, multum etiam versari vide-
tur. De viribus hisce, haud æquè honorificè ac
DRAKE, BEDDOES, FOWLER, &c. prædicare,
quidem observandum est, medicamentumque in
stadio morbi primo solummodò valere facilè

agnoscit. *Digitalem* veruntamen in *phthisi* curandâ magni facit; deque eâ sermonem faciens, verbis, infra legendis, utitur*.

Tinctura *digitalis* præparationibus hujus plantæ aliis omnibus MACLEAN judice, anteferenda est: tincturaque hujus formulas duas diversas ad calcem paginæ videndas exhibet †. Harum

* “ It will sometimes cure when the most approved remedies fail : when of itself it is insufficient to subdue the disease, it will prove a valuable auxiliary to other means. It has always with me quieted and soothed the sufferings of the patient, more or less : and when it ultimately failed, it lengthened the duration of life, and smoothed the avenues to death.” Disserere pergit : “ This is all I apprehend it will be found capable of performing : but this is doing a great deal : those who expect wonders from it, in that it will in *general* cure consumption, will be disappointed.”

Vide Med. and Phys. Journal, vol. ii. p. 117.

† ℞. Fol. Digit. purp. recens. exsic. ℥i.
 Spirit. vini tenuis, ℥viii. M.
 Digere leni calore per dies septem : dein cola.

℞. Fol. Digit. purp. recens. ℥iv.
 Spirit. vini rectific. ℥v. M.
 Digere dies septem leni calore : dein cola.

formularum ultima ei potior est, propterea quòd folia recentia viribus majoribus facile gaudent : MACLEAN suadente, hujusce tincturæ vel guttas decem vel quindecim æger initio ter indies sumet, dosisque guttis duabus, secundo quoque die additis, augeatur, usque dum systema vires remedii benè sentiat : systemate veruntamen affecto, medicus gradum sistat oportet, posteaque dosin vel diminuere vel augere pro re natâ debet.

Quod *ad modum hujusce remedii operandi* quidem pertinet, a sententiis Doctorum DARWIN, FOWLER, DRAKE, &c. de modo, quo *digitalis* ad secretionem minuendam, absorptionemque in pulmonibus promovendam valet, Dr MACLEAN plurimùm dissidet, remediumque hocce vel æquè, vel etiam magis pollere, quandò secretio aut muci aut puris minimè augetur, strenuè contendit. *Digitalem* effectus bonos in hoc morbo præstare, statum morbosum systematis totius corrigendo, signaque morbida ab hoc statu pendentia levando, sibimetipsi persuasum

habet : sententias ejus de phenomenis hisce verbis infra citatis *.

Quomodocunque res, quoad modum remedii hujusce operandi, sese habeat, quo citiùs id in auxilium vocatum sit, hoc eventum faustiores futurum esse certo certiùs est ; ideòque, siquando morbus vel in corpore prædisposito causâ excitante ritè admotâ, excitetur, vel typum proprium indicat, ad medicamenti hujus usum ilico confugiendum est. Tinctura saturata, Doctore MACLEAN, medicisque peritioribus haud pau-

* It is to those I have been disposed to attribute, in a great degree, its salutary effects in this deplorable malady. If it frequently possesses such control over the heart as to reduce its contractions from 120, and even 140, to 50 in a minute; if it allays, as it does in a most extraordinary degree, the cough and irritation of the lungs, and indeed of every part, the advantages thence resulting are incalculable. The vessels of the diseased lungs will be placed in a condition of secreting bland healthy fluids ; every organ in a state of performing its healthy functions, and thus the unison and harmony, which constitute the healthy standard, will be established throughout the body.

Vide Med. and Phys. Journal, vol. ii. p. 126.

cis judicibus, præparationibus omnibus aliis, propterea quòd viribus remedii optimè imbuta, anteponenda est.

Ad aëres arte factos THOMÆ BEDDOES, M. D. auspiciis et auctoritate in tabe pulmonum sanandâ, paucis ab hinc annis, frequentius decursum fuit : fluidaque elastica hæcce, remediis potentioribus conjuncta, alicui levamini phthisicis interdum fuisse, nemo in inficias ibit : verum enimvero BEDDOES sociique ejus, horum aërum vires plures quàm convenit, censuerunt ; hisque solis, *phthisi* laborantes haud paucos permisere. Hinc ratio patet, quare hæc remedia, nunc dierum, plerumque, ni fallor, malè audiunt, medicamentaque alia perplurima, in locum eorum, serie continuata supposita sunt : ab *oxygenio*, *hydrogenio* addito, impuriore facto, fluidisque elasticis aliis cum acido *carbonico* commistis, BEDDOES, THORNTON, WATT, &c. præsidium petiverunt ; atmosphæris veruntamen arte hoc modo confectis, in *phthisi* pulmonum curandâ, medici peritiores, ni fallor, omnes, nunc prorsus, nec malè diffidunt.

Si experientiæ medicorum quorundam recentiori fides aliqua habenda sit, *lichen Islandicus phthisi* affectos haud rarò sanos facit. Muscus hicce ad gradum debitum coctus mucilaginem amaram succo marrubii spissato, cum quo *gummi mimosæ niloticæ* pauxillum admiscetur, haud dissimilem præbet. Sub formulâ sequenti *lichenem Islandicum* in stadio *phthiseos* hocce præscribere licet et forsân juvat. *Lichenis Islandici* exsiccati unam unam cum semisse recipe—in aquâ calidâ muscum lava—in aquæ ferventis libris duabus ad trientem coque—dein cola—decocti hujusce, cyathos tres quatuorve indies, spatio debito interposito, æger sumat. Si lac pro ægro faceret, nauseamque minimè cieret, *lichenem* in partibus aquæ fluidique hujus æqualibus coquere liceat; saccharumque syrupusve *lichenis* pro re natâ addantur.

De syrupo vegetabili, balneo terreno, consortio cum vaccis in stabulo! remediisque empiricis aliis, quæ in spem vanam *phthisi* laborantes perperàm erigunt, non mihi liquet, ideòque silentio ea prætermittere lubet.

III. Symptomata graviora mitiganda sunt.— Morbo pennâ præcipiti ad finem tendente, ægroque pedem alterum in cymbâ Charontis habente, ne medicus curas quidem demittat: at potiùs symptomata urgentiora, tussim videlicet, diarrhœam colliquativam, sudores viscidos, debilitantes signaque febris hecticæ alia summis cum viribus coërceat, ærumnas ægri quantum fieri potest allevet, transitumque è vita faciliorem præbeat.

1. *Tussis* perpetua, molestissimaque tabidorum pulmones per cursum morbi opprimit, ulcerisque sanationi plurimùm obstat. Stadiis morbi prioribus tussi ope demulcentium mucilaginosarum utpote, quippe quæ ventriculo minus noceant, succurrere conatur medicus oportet: stadio veruntamen extremo, cùm levamini soli prospicitur, ad opiata jure decursum est. Nullis, *phthisis* nunc medicabilis est herbis; at *opium* liberè adhibitum, et tussim compescit, et dolores lenit, et exitum è vitâ ærumnosâ placidiorem miseris conciliat. Nec medico metuendum est, ne remedium hocce, stadio *phthiseos*

provecto, sputo reprimat; propterea quòd ægro somno relecto, exscretio facilior evadit.

2. *Diarrhæa Colliquativa.* *Opium* ad tussim sedandam non solùm valet; diarrhœæ etiam colliquenti remedio efficacissimo est. In eundem finem, ad usum extracti *mimosæ catechu*, *gummi resinæ kino*, aliaque astringentia ritè confugiendum est.

3. Sudoribus viscidis, colliquentibusque acido *sulphurico* ritè diluto, temporisque intervallis idoneis adhibito, optimè succurritur. Remedium idem calorem corporis facilè diminuit, febremque hecticam plùsve, minùsve, compescit, ideòque ad usum ejus multo cum commodo decurrendum est. Calor cubiculi, à stragulis lecti multis pendens, ritè evitandus est. Causâ effectibus absorptionis puris obviam eundi, acida vegetabilia, succus citri *aurantii* utpote in auxilium jure vocanda sunt. Fructus subacidi, recentes, ob vires antisepticas in iis insitas pro phthisico diarrhœâ hecticâ oppresso, sæpiùs multùm faciunt.

In stadio *phthiseos* ulcerato, medicis quibusdam usus *cinchonæ officinalis* arridet. Quod ad remedium hocce quidem pertinet, siquandò ægro in febre *phthiseos* hecticâ prosit, remissionibus matutinis, plùs solitò evidentibus, exacerbationibusque pomeridianis graviùs urgentibus solummodò adhibeatur oportet. Utilitate *cinchonæ* in hoc stadio morbi, ne medicus quidem multùm nitatur.

FINIS.

